



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulum XLVIII. Per tuas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

numerare instituens, huius meminerit; quare locum hic habere debet responsum Adriani Imp. in l. 3. §. eiusdem. de testibus: Hoc ego solum tibi scribere possum summam, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quod aut credas, aut parum probatum tibi opineris, videri potest *Abbas hic. n. 11.*

7 Not. III. Ferre testimonium in iudicio est actus publicus & legitimus; quamobrem infames, qui à publicis & legitimis actibus repelluntur, etiam testari in iudicio prohibentur, ut hic apparet & significatur in l. 1. ff. De testib. verum, officium testis non debet censeri publicum, ut bene monet *Abbas in rubric. tit. seq. Gal. lib. 1. observ. 100. n. 2.*

8 Not. IV. In dubio preferendum est id, in quo minus periculi est; quare si agatur de matrimonio contrahendo in dubio consanguinitatis, alteriusve impedimenti, prohibendum erit matrimonium, iuxta ea, quæ docui lib. 1. Th. mor. 17. 1. cap. 5. n. 23. Sin autem agatur de matrimonio, quod contractum est, dissolvendo, in dubio pronuntiandum erit pro matrimonio, maxime si impedimentum ex positivo humano jure proveniat, iuxta dictum Innoc. III. *tolerabilis est &c.* Sed et si ex divino jure proveniat, tamen coniuges, qui in bonæ fidei possessione hætenus erant, separandi non essent manente dubio, iuxta ea quæ docui cit. cap. 5. n. 24.

## CAPITULUM XLVIII.

## Per tuas.

## PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Canonicos S. Petri & Guilielmum, is tribus mensibus à tempore, quo testes publicati erant, eosdem denuò audiri postulavit. iudex dubitans, utrum recipere deberet, Honorium III. consuluit, qui hic respondet, recipiendos iterum non esse, præterquàm si Guilielmus super certis interrogatoriis testes examinari petiverit, idque à iudice malitiosè, aut negligenter omisissum fuerit.

## SUMMARIUM.

1. Publicatione factâ testificationum, iidem

testes super iisdem articulis ordinariè recipi non possunt. Exceptio una habetur in textu huius capituli.

2. Testis denuò recipi petens, ut prius dictum corrigat, non audietur, nisi in continenti fiat.

3. Recipi potest, si dicto priori aliquid addere, v. g. circumstantiam ex oblivione omissam velit. Minor tamen ei fides habebitur, quàm si in principio dixisset.

Not. vn. Factâ publicatione depositionum, iidem testes super iisdem articulis recipi non possunt, ordinariè loquendo; nam idem est subornationis periculû, siue iidem, siue alij testes post factam publicationem producantur. Exceptionem unam habes in textu, aliam in c. Cum clamor. 53. hoc tit.

Sed dubium est, utrum iidem testes produci possint ad examen, postquàm semel examinati fuerunt, attestacionibus nondum publicatis.

Resp. & Dico 1. Si testis denuò recipi postuletur, ut prius dictum corrigat, non audietur, nisi id fiat in continenti secundum iudicis arbitrium. c. Præterea. ubi Innoc. & Ioan. Ant. verb. In continenti.

Dico 2. Si testis denuò recipi petatur, nõ ut corrigat, sed ut addat, quia circumstantiã ad rem pertinẽtem edicere oblitus sit, tunc iudex permittere poterit, si iustã ratione peticio subnixã videatur, ita tamen, ut minor ei fides habeatur, quàm si in principio dixisset, vel in continenti addidisset, sicuti docet Innoc. loc. cit. n. 3. *Abbas hic. colum. 2. Felin. n. 2.*

Dico 3. Certum est, quòd in casibus, quibus testes iidem recipi possunt aut debent, post publicationem testificationum multo magis recipiendi sunt clausis testificationibus.

## CAPITULUM XLIX.

## Licet.

## PARAPHRASIS.

Lis erat inter Episcopum Burgensem & Clericos S. Mariæ, coram Cardinali, quem Honorius III. dedit auditorem causæ, coram eo Procurator Episcopi dixit,